



## **Jus Canonicum Practice Explicatum**

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,  
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1728**

Decisio LXXI. De Commissione cum clausula, remota appellatione, & de  
petitione Revisionis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

# TITULUS XXVIII.

## De Appellationibus, Recusationibus, & Relationibus.

### DECISIO LXXI.

De Commissione vel Delegatione facta cum clausula, remota appellatione: & de petitione Revisionis.

#### SPECIES FACTI.

**D**Uarum linearum primæ Nobilitatis agnati super capacitate possidendi certa bona fideicommissaria dissidebant inter se, & agnati ex linea B. objiciebant agnato ex linea A. incapacitatem. Ille confugit ad Principem territorialem, ut litem hanc dirimeret & pronuntiaret pro se. At Princeps noluit per se ipsum decideret, sed Commissarios seu Judices delegatos constituit, qui cognitâ causâ ferrent sententiam *appellatione remota*. Intra

breve temporis spatium sententia prolata in favorem agnati ex linea A. qua tamen plurimum se gravatos stimabant agnati ex linea B. atque circo de remedio, quo se juvare solliciti quærebant. I. An propter clausulam *appellatione remota* appellacionis arripere nequeant ad delegantem, uti aliâs Jura permittunt. II. An non salutare remedium Revisionis petere valeant?

#### QUÆSTIO I.

*An à Judice delegato, qui jussus est procedere appellacione remota, appellari ad delegantem nullo modo valeat?*

**N**ullatenus & nunquam id fieri posse concludit ex clausula, sub qua remouetur simpliciter omnis appellatio sine distinctione; nam ex una parte negari nequit, Principi compe-

tere potestatem delegandi causam remota appellacione c. 15. c. 27. *verò de off. deleg.* ex altera vero appellacionis nomen indefinitè prolatum comprehendit omnem appellacionem.



tem, quia propositio indefinita æquivallet universali, ut ex variis Legibus probat & deducit Barbosa axiomate 123. ergo stante prædicta clausula nunciam & nullatenus locum habet appellatio; & quidem II. etiã appellatio aliã justa; nam appellationes frivole & frustratorie jam ab ipso Jure sunt prohibita. l. 4. l. 7. ff. de appellat. recipiendis. l. 31. ff. de negot. gestis. cum igitur, sicut verba legum sunt accipienda cum effectu, ita & verba Recusatorum, & cujuslibet dispositionis, ita accipienda sint, ut aliquid operentur, & non merè frustranea sint. l. 109. pr. de Leg. I. etiã de appellatione aliã justa & legitima intelligi debet Rescriptum Principis appellationem removens. III. à delegato Principis non datur appellatio, sed tantum supplicatio. Sabellus v. appellatio. n. 6. ergo in nostro casu non quidem cogitare de appellatione possunt agnati ex linea B.

Ut ut autem hæc ita sint, limitatur tamen à Doctoribus dicta clausula I. ut per eam non censeatur exclusa appellatio quoad effectum devolutivum, quã ad Superiorem vel delegantem causa devolvi interposita appellatione possit, licet excludatur quoad effectum suspensivum, ut nempe sententia suam valeat dari executioni, non obstante appellatione interposita. Millianus in c. 1. de Rescript. n. 23. Contard. de moment. possess. limit. 12. q. 16. n. 6. Barb. ad clausulam appellatione remota n. 27. Limitatur II. ut non censeatur remota appellatio, ubi gravamen sen-

tentiã est manifestum. Abbas in c. inter cetera n. 3. de sent. & re jud. Gratianus in discept. forens. c. 494. n. 2. Vivian. prax. Jurispatr. p. 2. l. 13. c. 8. clausula 9. n. 43. allegans Rotam Romanam. Deci. Conf. 49. n. 3. Alex. Conf. 77. n. 17. Conf. 106. n. 27. lib. 3. & plenè. Conf. 91. lib. 6. Limitatur III. ut maneat salva appellatio, cui inferitur causa, per quam justificetur. Vivian. n. 41. cum Felino. Limitatur IV. ut appellari possit in dubio, an admittenda sit appellatio propter gravamen, forrè non evidenter notorium. Deci. Conf. 49. cit. in fine. Tuschus litt. A. concl. 400. n. 22. Limitatur à multis V. ut tantum excludatur appellatio frivola, non verò justa, & relevans. Menoch. de arbitr. Jud. casu 197. n. 2. seq. & alii multi apud Barb. lo. cit. n. 17. cum gl. in c. ut debitus bonos h. t. & in c. 13. de off. deleg. Tuschus n. 9. cum Baldo & Alexand. Si igitur gravamen foret notorium, vel ex Actis facillè liquidari posset, vel justa causa infereretur appellationi, per quam hæc clarè justificaretur, vel indè saltem dubium evaderet, an appellatio locum haberet, possent agnati non obstante clausula, appellatione remota, eam interponere; imò & his cessantibus utiliter in ordine ad effectum devolutivum illam interponerent mediò judicis juxta limitationem primam; eò quòd appellatio, utpote species defensionis, de Jure Naturali & Positivo sit admodum favorabilis, ut adeò per hujusmodi clausulam non censeatur esse remota, si

E e e

clausu-



clausula adhuc aliquid operetur, nimirum, quod per eam appellatio removeatur quoad effectum suspensivum, licet procedere adhuc possit, quoad effectum devolutivum.

Ad I. Argumentum in contrarium applicatur præfata limitatio prima, & distinguitur *consequens*: ergo stante prædicta clausula nunquam & nullatenus locum habet appellatio quoad effectum devolutivum, negatur *consequens* quoad effectum suspensivum, *transseat*, vel *subdist.* nisi gravamen sit notorium, vel alia ex allatis limitationibus subintret. C. *Conf.* si alia limitatio locum habeat, N. *Conf.* Ad II. *Transseat* totum, quod ex adducta ratione mihi redditur verisimilius, licet plurimi & gravissimi D. D. teneant oppositum; applico tamen iterum primam limitationem, quæ distinguit inter appellationis effectum devolutivum & suspensivum juxta paulò antè dicta. Ad III. Negatur *antec.* quod Sabellus non probat, eùm tamen Jura universaliter dicant à delegato appellationem fieri ad delegantem, uti l. *Imperatores 21. ff. b. t.* ibi: *idem rescripserunt, à Judice, quem à Præside Provincia quis acceperat, non rectè Imperatorem appellatum esse, ideoque NB. reverti eum ad Præsidem (delegantem) debere.* Consonat l. 3. & ibi Brunem. ff. *quis & à quo appelletur.* nullibi autem excipitur delegatus Principis. De appellatione à Judice subdelegante controversia est (sive subdelegans sit delegatus Principis vel alterius) quæ juxta meliorem doctrinam sic compla-

natur: si delegatus ad causam partem larem subdelegavit, & omnem suam jurisdictionem concessit subdelegato, tunc appellatio non ad delegantem, sed ad superiorem ejus, à quo delegatus ipse fuit, fieri debet: si vero quid jurisdictionis in tali causa reservavit, tunc ad delegatum, qui subdelegavit, appellandum est, tenet clarus in c. 27. §. *porro de offic. deleg.* & ne divortium fiat inter Jus Civile & Canonicum, hoc modo explicandi veniunt textus, non ita clare distinguentes, Juris Civilis, nominatim l. 1. ff. *quis & à quo appell.* & l. 1. c. *qui pro sua jurisd.* vid. Cancellarius Schmid *semicent. 1. controu. s. n. 4. D. à Widmont. ad ff. tit. quis & à quo appell. n. 10.* licet Fachin. l. 1. *controu. c. 78.* existimet, Jus Civile Canonico discrepare, & utrumque observandum in suo foro. Recensetur consilium praxis locorum, si qua versetur Juri Canonico,

Illud adhuc observo, quod in varia 90. dies, seu tres menses appellandum sint concessi; cùm tamen de Jure Communi solummodo 10. dies; qui menses, sicut de Jure Communi 10. dies, currere incipiunt tempore scientiæ. Decretum Electorale de 28. Nov. 1647. Item quod in Bavaria debeat appellatio proponi coram Judice ad quem expressè dicitur gravaminibus, cùm tamen de Jure Communi interponenda sit appellatio ad Judicem à quo. à Widmont. *quando appellandum sit n. 8.* De hoc observo, secundum Imperii Recensuræ



anno 1554. §. indein auch 115. appellari etiam posse à sententia nulla sit invalida, modò nullitas non sit inessentibus, cujusmodi esse censetur I. Quæ provenit à persona Judicis, si incompetens. II. Quæ nascitur ex

persona partis litigantis, si nimirum nequeat stare in Judicio, vel legitimita non sit. III. Quæ oritur exinde, quòd lata sit sententia sine pravâ citatione Partis. *Ordinat. Cam. p. 3. tit. 341. Brunem, in Processu Civili. c. 28. n. 109.*

QUESTIO. II.

An Agnati ex linea B. petere possint salutare Revisionis remedium?

Negativa forsan verisimilis redditur ex eo. I. Quòd de hoc remedio nihil omnino reperitur in totâ Juris Civili vel Canonico. Et licet II. in locis vel consuetudinibus esset inductum, tamen in præsentem illud non haberet locum, eò quòd per *causam remota appellatione* pariter hoc Revisionis remedium videatur remanere, partim quia Revisio est valde vicina Appellationi, imò huic subrogata vel substituta; *cum enim quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illa. c. 39. de R. I. in 6.* partim quia quod unâ viâ prohibetur, aliâ aliâ non debet admitti. *c. 24. eod. in 6.* siquidem petens & obtinens Revisionem ferè idem in effectu obtinet, quod interponens appellationem; nam obtenta Revisione Actorum rursus examinatur causa ab aliis Judicibus, qui ad revidendum constituantur, ac prior sententia cassari & facta fieri potest; & quamvis Revisio habeat solummodo effectum devolutionem, non suspensivum. *Recess. Imp. anno 1654. §. 124.* per quod ma-

ximè differt ab appellatione, tamen per illam retardatur exitus causæ & litis, quem Princeps per appellationem remotam voluit summo perere & quàm celerrimè finiri. Accedit III. Quòd in Bavaria, & aliis locis, ubi speciale Consilium *Revisorium*, ut vocant, est erectum, hoc tribunal sit superius, ad quod permittitur vera appellatio intra 90. dies, ut petitio Revisionis, si priùs non in Summario, sed in Ordinario fuit processum, etiam habeat effectum suspensivum vi decreti Electoralis Bavarici de 17. Apr. 1675. & de 27. Nov. 1657. Licet terminatò Revisorio nulla amplius concedatur vel appellatio, vel supplicatio ad Principem, quia Revisorium loco supplicationis est substitutum, à *Widmont tit. ff. quæ sentent. sine appell. rescindantur. n. 9.*

Affirmativam tamen his non obstantibus præferendam censeo, & observo, Revisionem considerari posse duplicem, unam, qua citra appellationem petitur relectio Actorum, & est remedium subsidiale, quo grava-



tus, cui Appellatio non conceditur vel propter privilegium *Judicis à quo* de non appellando à se, vel propter summam non appellabilem &c. petit priora Acta ex justis causis relegi & accuratè inspici, gravamènque reformari. Et hoc remedium publicis Imperii legibus est introductum, omnibusque præstitutum tam pro Camera Imperiali quàm pro Statuum Imperii territoriis. *Ordinat. Cam. p. 3. tit. 51. Recess. Imp. ult. de Anno 1654. §. 118.* & ideo non satis commodè vocatur extraordinarium, sed potius subsidiale. Alteram, qua provocatur ad superius tribunal, quod dicitur *Revisorium*, sicubi tale est erectum; & ista coincidit cum appellatione, partique utrumque effectum tam suspensionis ab executione, quàm devolutionis causæ ad superiorem Judicem. Quòd Agnatis competeret hæc ultima Revisio, seu Appellatio ad Consilium revisorium, si non fuisset institutum Judicium delegatum cum clausula *remota Appellatione*, clarum est per se: nunc verò ad delegantem, at sine effectu suspensivo, ut docuimus *ad questionem I.* qui tamen ad suum Consilium Revisorium Partes ablegare, ut opinor, non prohibetur. Quæstio igitur hæc II. procedit solum de Revisio prima, quam diximus esse subsidiale remedium, & respectu alterius, quæ rationem Appellationis ad Consilium Revisorium obtinet, *extraordinarium* fors dici posset, & hanc Agnatis ex linea B. competere contendit, &

Probo I. Ex allegatis *Ordinat. Cam. & Recess. Imperii.* II. Ex ratione, in aliàs gravato, qui ordinariò appellationis remediò destituitur, carere cogatur necessaria defensione, Jure quàm minùs Naturali, quàm Positivo non denegandà, & ne grave damnum incurrat, si executionem sententiæ impedit, & effectum illius suspensionis nullo remedio defensorio consequi non valeat; præsertim si III. Jus illud habeat causam, uti habere dicuntur Agnati familiæ B. amolendi à se gravamen.

Opposita non multùm urget. Non I. Quia Jus Commune supplementum per Statutarium vel Consuetudinum ferè ubique introductum, cuius vis est, quanta Juri Communi in Scripto. Non II. Quia in ordinariò qualia utique sunt, quæ naturalis suspensionis jus restringunt, nominè appellationis non veniunt alia remedia defensoria: sic juxta omnes per clausulam *remota appellatione* non prohibetur supplicatio ad Superiorem, vel substituta est, vel aequiparatur revisio: nec prohibetur restitutio integrum: nec querela nullitatis, querela protractæ vel denegatæ justitiæ: nec recusatio Judicis &c. *bofa lo. cit. n. 27. seqq.* Adductæ regulæ præter alias limitationes recipiunt etiam hanc: nisi versemper materia odiosa, & nisi verba prohibitionis, in stricta significatione accepta comprehendant alia de Jure permissa vel in jure Naturali fundata, vel in jure Positivo sit ratio Appellatio-



is, per quam inchoatur nova instantia, & Judicium in longius protrahitur, & Revisionis aut aliorum declarationis generum, in quibus res breviori termino ac viâ finitur. non III. quia in hac quæstione II. non est sermo de recurſu ad Reviſorium Collegium tanquam tribunal superius per viam Appellationis, sed de Revisione

Actorum ſubſidiali, &, ſi ita vocare placet, extraordinaria, in qua breviter & unico ſcripto proceditur, & accuratiori trutina examinantur merita cauſæ, ac prolata prior ſententia, non verò nova inchoatur inſtantia per appellationem propriè dictam ad ſuperius tribunal.

## TITULUS XXIX.

### De Clericis peregrinantibus.

#### DECISIO LXXII.

De Parocho parochiâ moto, & iter Romanum ingreſſo.

#### SPECIES FACTI.

Unus parochus, admodum bibulus, ac propterea à parochianis Rufficus ſæpius in Curia Episcopali accuſatus, indeque commonitus, ut ab hoc vino deſiſteret; ſed identidem reſapſus à præſata Curia per ſententiam ſuo beneficio parochiali privatus eſt. Lucius hoc percuffus fulmine virum egregiè peritum Eccleſiaſtici Juris conſuluit, quid ſibi in his anguſtiis agendum, & an non ſuperſit remedium recuperandi rel retinendi Beneficium. Vir ille ſuaſit, ut quamprimum, & intra 10. adhuc dies iter Romanum verſus arriperet, ibique cau-

ſam ſuam ageret, at certioratâ ſimul de arrepto itinere Curia Episcopali. Lucius huic conſilio obſequens nono poſt ſententiam die iter Romanum ingreſſus eſt, idque per ſpeciales litteras ſignificavit Ordinario ſuo per duos Rufficos ſibi magis benevolos miſſas, qui ſimul teſtes eſſent ſuæ captæ profectionis. Appulſus Romæ cauſam ſuam agere cepit, licet vacuus ferè omni nervo pecuniario, quem dudum abſumpſerat cereviſia Bavarica; interea autem Ordinarius alteri parochiam contulit. Jam